



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

XII. De aduocatis ecclesiarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

X.

Item cum in nostro prouinciali Concilio proxime celebrato clericis plura beneficia curam animarum habentibus duxerimus iniungendum, vt infra certum terminum & tempus dispensationis suæ fidem nobis facerent, vt vltimo eis remanente beneficio iuxta Lateranense Concilium prioribus essent ipso iure priuati, ex superabundanti expectantes expectauimus vsque modo. Quare volumus districte præcipientes, vt durante tempore præsentis nostri Concilii literas suæ dispensationis nobis exhibeant; alioquin quod prius contra tales beneficiatos statutum est efficaciter exequemur, huiusmodi beneficia tamquam de iure vacantia personis idoneis conferendo.

XI.

Item licet rectoribus ecclesiarum qui a residentia excusantur mandauerimus in proximo Concilio, quatenus personas idoneas ordinarent in ecclesiis suis in perpetuos vicarios institui, ac locari trimestri tempore ad hoc exequendum indulto: tamen quia in hoc exhibuerunt se aliqui negligentes, nos institutionem huiusmodi vicariorum, seu locationem ecclesiarum, simul & moderamen præbendarum, præcise ad nostram prouidentiam reuocamus, sublata eis omni circa prouisionem huiusmodi potestate, vt sic puniantur ex eo in quo delinquere præsumperunt.

XII.

Item sub velamento aduocationis nonnun-

quam grauantur monasteria conuentualium, pa-
rochialium, & aliarum ecclesiarum libertas & im-
munitas perturbantur; decreuimus, vt omnes qui
occasione huiusmodi aliquod ius sibi vendicant in
ecclesiis, nisi de iure suo ordinarium loci contra-
ctum fecerint, ante festum sancti Ioannis Baptistæ,
quem eis ad hoc terminum peremptorium assi-
gnamus; extunc super hoc de cetero nullatenus
audiantur; & clericus, qui se non opposuit taliter
vsurpanti, pœnam sustineat nuper in Lugdunensi
Concilio statutam.

XIII.

Item, cum hi qui violentas manus mittunt in
clericos incidant ipso facto in Canonem legitime
promulgatum, districte præcipimus, vt in paro-
chia, in qua tale delictum commissum fuerit, vel ta-
lis malefactor domicilium habuerit, rectores illa-
rum ecclesiarum ipsum excommunicatū deuentent,
& denuntient singulis diebus dominicis & festiuis;
vt sic rubore perfusus ad matrem ecclesiam citius
reuertatur: illos vero clericos, qui vel alios nomi-
natim excommunicatos, vel interdictos ad diui-
na, vel ecclesiasticam sepulturam scienter recepe-
rint, ab omni officio ecclesiastico suspensos decer-
nimus remanere, vtpote qui sua temeritate nitun-
tur frangere neruum ecclesiasticæ disciplinæ, &
eum qui in prædictam denuntiationem, postquam
sibi per ordinarium fuerit demandatum, negli-
gens fuerit aut remissus, per quindecim dies ab
ingressu ecclesiæ, & ab officio sit suspensus, &
culpam reiteratam pœnæ reiteratio subsequatur.

ANNO
CHRISTI
1181.
Mons.
scriptum
habet, c.
munitas